



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Lvdovicvs II. Abbas Heremitarvm XXXV. Princeps Imperii Decimvs Octavvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



LVDOVICVS II. AB.  
BAS HEREMITARVM

XXXV. PRINCEPS IMPERII  
DECIMVS OCTAVVS.



MAGNAM ad primum in Heremum ingressum offendit Ludouicus rerum omnium confusionem, & desolationem. Nulli ordinis amplius aderant, & præter exhaustum, & spoliatum Monasterium nulla pene prisca cultus, & disciplinæ monumenta. Pauci, & vndique adsciti cappellani curam Sacelli Virginici adhuc gerebant. Incolæ Heremi, veluti excusso iugo, nemine regente, omnium obediētiam, & obsequium aspernari videbantur. Grande ad hoc æs alienum, & potissimæ Monasterij decumæ, possessiones, iura, & emolumenta

vtraque



vtraque lacus Tigurini ripa, & in Turgouia ab Nouatoribus, & transfuga Geroldseckio retinebantur. Nec spes recuperandi, tantis vndique turbis, & commotionibus, mutationibusque supererat. Postremum, & pessimum malorum pene omnibus finitimis iuxta, & disitis in horrorē, & abominationem Heremus verterat, ob recentem effusi primum in ea ab Zvinglio veneni fædissimi, & contagiosissimi memoriam. Quæ omnia ita graua, & intoleranda Ludouico apparebāt, vt penè susceptæ dignitatis, & regiminis pœnituerit. Et sanè proximum quinquennium maximos inter labores, curas, & contentiones, angustiasque exegit. Postquam verò apud Capellam pugnatum, & cum Zvinglio Geroldseckius occidit, victisque datæ sunt leges, paullo quietius, & moderatius omnia se habuere. Tum & quæ ad lacum recepta, & de cæteris haut vana fiducia suborta. Itaque, verso ad restabiliendam primo monachicam disciplinam animo, quatuor bonæ spei adolescētulos in monasterium adsumsit, quantūq; fuit probatos, & vestitu, cultuq; apud S. Gallum vsitato, cultos, ex ijs binos in Sueuiā ad capiendū ingenij, & regularis disciplinæ cultū trāsmisit, Ochsenhausiam alterum, alterum Hirsaugiam, quibus in monasterijs præcipuè adhuc vetera nostri ordinis constituta conseruabantur: reliquos apud se continuit, & haut minori cura bonis literis, et moribus imbuit. Sed quo firmiter se in omnem euentum haberet, cognito Imper. Carolum apud Ratisbonam comitia regni frequentia celebrare, ad quæ & ipse, tamquam Princeps Imperij vocatus erat, ad eum è suis Ioannem ab Amberg cum potestate expediuit, qui confirmationem priuilegiorum Monasterij peteret, & suis verbis, tamquam Imperij Principis, Imperatori obsequium, & fidelitatem polliceretur. Imperator, accepto, more solito, ab Ioanne nomine Ludouici, fidei sacramento, Monasterij omnia priuilegia confirmauit, Ludouicoque, tamquam vero, & legitimo domino, omnes Monasterij subditos, et annexos obedire iussit, diplomate dato. *Ratisbonæ v. Nonas Iulij, Anno CIO. D. XXXII. Imperij XII. regnorum XVII.* Accepit, eodem tempore, sicuti

A. D. N.

CIO. D.  
XXXI.

A. D. N.

CIO. D.  
XXXII.

petierat,



A. D. X.

C10. D.  
XXXVII.

petierat bullam ab Clemente VII. Ludouicus, qua Episcopali-  
 bus ipsum insignibus exornat, benedicendi populum, cruce-  
 ces, imagines, corporalia, campanas, vasa sacris destinata,  
 reconciliandi Ecclesias, & coemiteria sibi subiecta, postre-  
 mo inaugurandi monachos suos caractere clericali, eisque  
 minores ordines conferendi potestatem amplissimam im-  
 pertit. Sed hæc tum rara, & expetenda ab Romana Se-  
 de priuilegia, multis partibus Clementis successor Paullus  
 III. auxit, & locupletauit. Confirmatis enim, & innoua-  
 tis omnium prædecessorum suorum pontificum bullis, &  
 decretis, Ludouico, & eius successoribus abbatibus conce-  
 dit, durantibus in Episcopatu Constantiensi hæresibus, om-  
 nem illam iurisdictionem, & potestatem in suos, quæ de iure  
 alioquin ad Episcopum Constantiensem pertineat, ita vt de  
 sententia ab abbate lata appellare grauatim non liceat ad Epi-  
 scopum, sed solummodo ad Sedem Apostolicam, aut eius le-  
 gatum. Ius quoque præsentandi sui monasterij beneficia pa-  
 rocho Suitensi, quam præsentationem recipere, & instituendos  
 instituere teneatur, itemque facultatem conferendi sa-  
 cramentum confirmationis, primam tonsuram, & primos  
 ordines, vtendi pontificalibus, supplendi defectus natalium  
 in suis, chryisma sacrum petendi ab quolibet Episcopo Ca-  
 tholico, aliorum plurium. Bulla data *Roma apud S. Petrum*  
*die XIII. Decembris. Anno C10. D. XXXVII. Pontificatus*  
*quarto.* His Pontificum, & Imperatoris priuilegijs, & nouis  
 ornamentis haut parum dignitatis, & firmitudinis Ludoui-  
 cus, resurgētibus iam, & paulatim in antiquum splendorem  
 emergentibus Monasterij rebus, comparauit, magnamque  
 de se apud omnes opinionem virtutis, & industriæ, & penes  
 vtriusque ordinis Principes fauoris, & auctoritatis præbuit.  
 Erat è nobili Blarerorum stirpe quidem natus, primus tamen  
 qui citra Baronum, aut Comitum dignitatē monasterio præ-  
 fuit. Ceteri hucusque omnes Heremitarum abbates è Ba-  
 ronibus, aut Comitibus, vel etiam Ducibus, & Regibus ori-  
 ginem habuere. Sed ea inciderunt tempora quæ primo in  
 fide, & relligione discidium parturiere, mox antiquos mores,

&amp; proba-



& probatos, receptosque penitus conculcauere, pessum dederuntque, Clericos hinc, & sacerdotes pro vanis, & lurconibus: monachos, & relligiosos pro fanaticis, & tenebrionibus habuerint, omnes pro monstris, simijs, hienis, asinis, lupis, pardocamelis, et si quid fædius, aut tetrius natura creat, duxerint, & vulgo summo contemptu, & odio depinxerint, & circumtulert. Vnde quis non intelligit nobilia quoque, & perlustria ingenia in tanta vastitate, & confusione corrumpi, & contaminari debuisse, quæque tanto opere maiores eorum sinceræ fidei cultores, & antiquæ relligionis vindices, & propagatores, probauerunt, eadem fordescere, aut etiam in contemptum venire necesse fuisse. His tamen nihil obstantibus, profecto in Heremo deinceps præfuerunt, qui qualemcumque originis obscuritatem incredibili virtute animi, nō modo cooperuerunt, sed nobilissimis quibusque natalibus se dignissimos præstitere, ad eō nihil illis generositatis, magnificentiæ, pietatis, & industriæ, auctoritatis, & gloriæ apud suos, apud exteros plerisq; defuit. Obijt Ludouicus Anno Domini nostri, Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo quarto. Quarto Kalend. Februarij, relictis in Monasterio quatuor, quos eduxisse diximus, monachis, Rudolfo Brunoldo Rapersvillensi, Ioachimo Eichhorn Vvilensi, Ioanne Buocher Heremitano, & Henrico Kindelmann Rapersuillensi. Omnium natu minimus Ioachimus succedere iussus, ætatis suæ anno x x v i. feria sexta post dominicam lætare.



Q q

IOACH.